

Differtt. miscell.
vol. 51. G. IX. 33

DISPUTATIONUM ETHI-
CARUM QUINTA.

De
FORTITUDINE,

Moderatore Dei Spiritu,

IN ILLUSTRIVITTEBERGA,
*Ad privatam placidamq; συμφιλολογίαν
exhibita*

A
M. SIGISMUNDO EVENIO,
Facultatis Philosophicæ Adjuncto,

RESPONDENTE

FRIDERICO FOLCKELIO

Uratislaviense - Silesio.

Ad diem 4. Februarij, horis locoq; notis,

Cicero in Rhet.

Fortitudo est immobilis inter adversa gloriosa animi claritudo,
res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur,
nec prosperis blandiendo elevatur,

WITTEBERGAE,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi

M. DC. XII.



V I R I S

*Nobilissimis, Præstantissimis, Prudentia,
item Virtutis, & Experientia laude
commendatissimis,*

Dn. CASPARO ISLERO

In Kriettern / Civi, augustæ Uratislaviensium
Reipublicæ primario, & Ordinis Mercato-
rum Seniori dignissimo.

Dn. HIERONYMO THILSCH

*Civi ibidem apud Uratislavienses
Spectatissimo*

Cognatis, Patronis, Tutoribus, ac Promoto-
ribus suis, omni observantiæ cultu *et*
ædior colendis

Hoc æγώνισμα Ethicum,

In grati animi signum,

Perpetuæ observantiæ argumētum

Et studiorum suorum testimonium

*Consecrare, offerre
voluit, debuit*

Fridericus Fölckel Respondens.



Continuatio.

VIATOREM NON SATIS est nosse, quò tendat & quæ firma fixaq; via sit meta, vel per quæ hanc metam consequi sit potis; verum etiam sciat necesse est, quæ horum omnium sit varietas, ne in via medio aliis aliam via partem suadentibus, vel, quò eundum sit, dubius hereat, & iter relegere cogatur, vel viâ in viâ ad de via abreptus in errorum Labyrinthum deveniat, & metâ vel omnino aberret, vel serò tandem eam consequatur. In Felicitatis via constituto idem faciendum est. Metam quando novit portum illum vitæ civilis universæ unicū BEATITUDINEM; medium novit verissimum & certissimum VIRTUTEM, quæ in periculoso hoc transitu ἀξιόβητον καὶ γνήσιον sui cultorem manu ductum voto ac desiderio suo beare possit: Satis nondum habet, Labyrinthi

byrinthi heic se offerunt varij, ignes fatui multi-
 plices, *AFFECT. VVM* illa turba innu-
 mera, qua hinc deliciis & blanditiis non unis in-
 vitiorum precipitia mille allicit & invitat, illinc
 furoris & saevitiae calidae procellis in numero &
 periculo haud minores errorum gurgites agit va-
 stissimos; quae omnia eluctari e tantis malis volen-
 tem magis magisque, implicant & fortius subinde
 deprimunt. *Quid aget heic miser? Ariadnen*
Rationis filiam VIRTUTE M in auxilium
 vocabit, quae comitatu suo multiplici multiplices
 hostium catervas abigat, aut saltem in horum
 medio viam transitumque, praestet tutissimum. Hoc
 ergo ἐπιμένως agemus; quia τὸ πρῶτον ἐνάστιν μέθοδον Φιλοσο-
 φῶν οὐκ εἰδὸν ἐστὶ, τὸ μὴ παρορᾶν, μηδὲ καταλείπειν, ἀλλὰ δηλᾶν πρῶτον
 ἐνάστιν ἀλήθειαν, monente Philosopho lib. 3. polit. cap. 8:
 expedit à hæctenus Virtutis essentiã, ad specialem
 δὲ ἕξοδον nos demittimus, ut sciarnus accurate & a-
 gamus fructuose.

THEOREMA I.

*Virtus vel est Moralis vel Intellectualis. E. Mo-
 ralibus prima est Fortitudo*

I. Philosophi illa est Virtutum divisio in Intellectualem & Moralem,
 πρῶτον ἀρετῶν, inquit lib. 1. Eth. cap. ult. τὰς μὲν λέγομεν Διανοητικὰς, τὰς
 ἠθικὰς. i. Philo-

δε ἡθικῶς, fundamento à duplici animæ parte desumto, quarum altera
proprie & in se rationem habet, altera ita, ut is, qui dicto patris est au-
diens. *Moralem* autem, quam proximè de finivimus, cum Philosopho
priori proponimus loco, cum proximè attineat appetitum, cujus correctio
in hac ἐγγύσσει nobis est proposita & ἐξ ἔθους seu consuetudine acqui-
ratur, sicut Intellectualis τὸ πλεῖστον ἐκ διδασκαλίας ἔχει καὶ τὴν γένε-
σιν καὶ τὴν αὐξήσιν. lib. 2. Eth. cap. 1.

2. *Moralium virtutum varia sunt species*, harum q; varia etiam subdi-
visiones suo loco non contemnendæ. Philosophus lib. 2. Eth. cap. 7, unde-
cim numero recenset virtutes, ad quas reliquæ referri suo modo pos-
sunt & debent: Sunt autem hæc: *Fortitudo, Temperantia, Liberalitas, Ma-
gnificencia, Magnanimitas, Modestia, Mansuetudo, Comitas, Veritas, Urbanitas
& Iustitia*. Hunc numerum variè Interpretes digerere solent. *Quidam* à
partibus hominis corpore & anima, quarum directioni virtutes sine
destinatæ, exordium esse ducendum autumant. Quia enim in corpo-
re vel vires vel sensus spectentur, & illarum exercitium in periculis
conspiciatur vel mediocribus, circa qua sit Fortitudo; vel magnis & a-
cerbitate plenis, unde animi Magnitudo; & quæ deinde membra divi-
sionis sunt alia. Hinc Fortitudinem primò collocandam esse loco au-
tumant. *Alij aliter progrediuntur*. Quam litem nostram non facimus,
quin potius pro varia consideratione variè virtutes posse dispelci & à
varijs initium fieri liberali manu largimur.

3. Id potius trutinandum nobis sumimus; *An specie inter se Virtutes
distinguantur?* Quo de multum digladiare inter se videmus Ethicos; a-
liis unam tantum Virtutem agnoscentibus, quæ pro objectorum dein-
de varietate variet; alijs diversas specie omnes asserentibus; alijs
deniq; quasdam specie seu re differre, quasdam verò non re sed ra-
tione, quæ secundum magnum & parvum tantum distent. *Piccolomineus*
intrinsicis distingui seipsis, hoc est suis formis receptis in distincto ap-
petitu vel in eodem per distinctas perturbationes, statuit grad. 4. cap. 23.
Cujus sententiæ subscribimus & nos, sed ita, ut in alijs magis, in alijs
minus evidentem hunc esse distinctionis modum asseramus.

4. *Fortitudo* autem virtus, cur agmen in hoc virtutum censu ducat cau-
sæ non videntur nullæ. Splendor enim & usus hujus in Rep. facile pri-
marius est. Salutatur quidem Iustitia virtutū cæterarum regina; Tem-
perantia custodia Prudentiæ saluberrima; Liberalitas Deo similimas

A 3

Fortitudo

Fortitudo autem Remp. tuetur & conservat, quæ nullum vel fatum vel fortunam in boni publici gratiam detrectat, etiam deteriolem, ut ait Scaliger l. de re Poet. c. 19. Accedit objectum ejus maximè arduum, quòd est mors bellica τῶν φοβερῶν φοβερώτατον; Cum ergò virtus sit circa maximè ardua, πρὸς χαλεπώτερον αἰεὶ ἢ τεχνὴ γίνεται καὶ δεξιὴ 2. Eth. 2; primo hanc habendam esse loco nemo dubitabit.

THEOREMA II.

Fortitudo virtus est hominem in honestè subeundis fortiterq; perferendis periculis necessariis legitimè disponens.

1. Vocabulum Fortitudinis Latini ab eo, quod foras est, deducunt, qualis hostis est, quem Marte & arte vincere docet, vel etiam δὲ φόβου à perferendo, officio Fortitudinis altero. Grecis unde ἀνδρείας vox deducta, & quomodo virtutem hanc supra reliquas elevet, supra ex Scaligero est dictum. Mulierum sanè Fortitudinem & sacrae & profanae etiam historiae celebrant, raris tamen exemplis; unde appellatio justo titulo ad viros Martis pullos hanc solùm alligat.

2. Robur naturale & constantiam in martyrio, quàm quidam huic includunt, relegamus ad sedes proprias, & animi robur, quod vel in paucis datur, qui

Non ex jure manu confertum, sed magis ferro

Rem repetant, ut ait Ennius; vel si datur, sine fræno est & ita Vis consilij expers mole ruit sua, potissimum attendimus & in definitione intellectum volumus:

3. Objectum hujus assignamus pericula seu ea omnia, quæ metum fiduciamq; alicui adferre possunt, quæ ob id Philosophus vocat, τὰ φοβερά καὶ θαρραλλέα: Quæ quia unius generis non sunt, determinanda sunt. Nam τὰ φοβερά, circa quæ præcipuè Fortitudo occupata est, vel sunt ἀπὸ λῶς talia, quæ sine impietate & dedecore non possunt non metui, qualis est infamia, Dei offenso & alia hujusmodi, quorsum etiam ea referri possunt, quæ sunt ὑπὲρ ἀνθρώπων: vel κατὰ ἑ, quæ vel indifferentia, quæ metui & non metui possunt sine dedecore, ut morbi, vel cum ratione metuntur, cum κατὰ ἀνθρώπων, & circa hæc fortitudo est præcipuè.

4. Inter

4. *Inter hæc autem eminent mors bellica, non tantum, quâ Mors, horribilis, bonis & spe hominem exuens, sed honestissima etiam, pro defensione nimirum patriæ suscepta, pro bona enim causâ mori honesta est turpitudine, quæ vitam etiam turpem, ex Ciceronis sententia, exornat. Ergò δπο' τῆς ζῆν ἀποθανεῖν εὐκλέως ἀρξείσθαι δει, monente Isocrate in Euagora. Hinc Scaliger lib. 3. de re Poet. cap. 15. per quàm paucos viros esse, dicit, ex ijs, qui clari atq; illustres tum Virtutibus, tum Fortuna sunt habiti, quos non pro exemplo Fors ostentaverit posteritatis, quin penè omnes aut extra suam patriam aut violenta morte periisse.*

5. *Hæc autem Pericula debent esse necessaria; non temerario ausu suscepta, ne illud Scripturæ audiamus: Qui periculum amat in eo peribit. Unde hostem sine gravi & urgente necessitate provocare nemo jubetur, nec ullus ob id laudatur, cum, si quid heic subest mali, alio possit medio tolli & averti. Præscriptum ergò rationis heic, non affectûs audiendum, quod sequi solent ij, qui nolente & nondum jubente Domino, sed eo invito exeunt hospitio violentas sibi manus inferentes.*

6. *Præscribit ergò ratio duo in hisce periculis: 1. Honestam & Cautam Aggressionem. 2. Firmam & Masculam perseverantiam. Primum requirit, Cunctationem, ut tardè & deliberato consilio aggrediamur,*

Vnus homo nobis cunctando restituit rem, ait ille.

Non ergò Φιλονόουδον est fortis sed consilio rem gerit, εὐβουλία γδ juxta Sophocli. κρείττων τῶν κτημάτων, & præcipuè si matura non præcipitata, consilia enim audacia prima specie lata, tractu dura, eventu tristia esse solere, inquit Livius. Hanc deinde Expectatio animosa excipiat, qua præstolemur adventum hostis & hoc ipsum non sine consilio & ratione, quæ & heic eis ἀγαθὸν καὶ νόον ἐσθλὸν ἀγει, ut Theognis loquitur.

7. *Ubi tamen non sine ratione quæri posset: An viri fortis sit semper expectare hostem, an verò fugâ aliquando sibi consulere? Philosophus, qui fortem dicit ἀνέκωληκτον esse ὡς ἀνθρώπον, qui quomodo oportet & ut ratio præscribit honestatis gratia metuat, posteriorem videtur partem amplecti; cum enim vitâ dignissimus sit is, qui mortalibus vitâ suâ maximè inservire potest, quemq; mors his omnibus bonis spoliât, fugere eam non tantum potest, sed & debet ratione ita suadente. Sapiens enim fortitudo victoriam non in morte, sed in facto ponit. Scal. inquit lib. 3. de re Poet. cap. 9.*

8. Alterum

8. Alterum fortis officium postulat Tum animi obfirmationem ad quævis ingruentia pericula; Fortitudinis enim proprium est omnia humana despiciere, nihilq; quod homini accidere possit, intolerandum putare, ut ait Cicero l. 3. off. quem non hostium ardor, non vultus instantis Tyranni mente quatiat solida. Horat. l. 3. od. 3. Unde in medijs etiam periculis debet exultare. Quamvis enim naturæ conditio & adversorum ingruentiam impetus, mediq; laboriosissima dolorem ei incuriant, cum non sit truncus sed miseræ & fragilis conditionis homo & σαρκίης carneus, ut ait Philosophus l. 3. Eth. c. 12: lætari tamen simul ex animo debet, quando patriæ salutē, quæ vitæ charior est. Cic. Catilin. & magis amanda quam Mater, cum sit quiddam divinū, Plato 5. de leg. attendit; quando decus nominis immortale, seu famam, quæ æternitatis lingua est & tuba, considerat; quando Beatitudinem civilem & salutem publicam, cui omnia nostra consecrantur, perpendit.

9. Tum hostis Lesionem, quocunq; id modo & ratione fieri possit. Ut enim Venator, ait Magnus Lipsius l. 5. pol. c. 17, feras quasdam vi & manu interficit, quasdam occultis subsistens laqueis aut retibus caprat: ita sive dolo, sive stricto cominus ense hostem quis interficiat, parum vel nihil refert. Imò illa belli furta, ut addit Thucydides, pulcherrimam habent laudem, per quæ hostes maximè decipiuntur & amici plurimum juvantur. Modò id cum fidei non fiat violatione, quam fallere grave est, est enim viri fortis cum Regulo potius redire ad tormenta, quam fidem fallere cum ignominia.

THEOREMA III.

*Fortitudinis extrema sunt: In excessu Audacia,
ἢ ὁραότης; in defectu Timiditas, ἢ δειλία.*

1. Hæc ex hæcenus dictis facile elucescunt. Audacia enim vitium est pessimum, quando sine omni consilio, sine omni ingenio quis furit & fremit, confidentiam, ut Comicus loquitur, in ventre habens & Martem in lingua, & in hostem ruit, viribus & lacertis confusus, & de vastitate corporis & innumeris suis victorijs frequenter & Thraconicè gloriatur, ut loquitur, Casus l. 3. speculi c. 7: Meus est balista, pugnus, cubitus, catapulta est mihi, humerus aries, cum genu, ut quemq; vicerò, ad terram dabo, dentilegos omnes faciam mortales, uti jactantiam horum hominum descripsit Plautus in Captivis.

2. Duplex

2. *Duplex* autem hoc vitium potissimum deprehenditur esse: 1. *Simplex*, quando sine omni *ὑπιστάσεων* observatione ferarum more aliquis cæco impetu in pericula ruit, & damno cautior factus resiliere tandem cogitur: 2. *Compositum*, quando præter hanc temeritatem impudentia insuper & jactantia ventosa & vana occurrit, qualem *Cicero* describit *Catilinam* 1. *Catilin*: Tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium justum omnium & jam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusq; vulneras, eorum aspectum præsentiamq; vitare; neq; patriæ autoritatem verebere? neq; judicium sequere? neq; vim pertimesces?

3. Non incommodè referri huc forsitan poterunt & nostri temporis *Audaculi*, qui arte seu *incantationibus* potius *Diabolicis* stuporem membris inducunt, ut ictus omnes impunè excipere & perferre possint; qui in Deū, virtutem, se & proximum sunt *injurij*. In Deum à quo deficientes ad Diabolum confugiunt, in vanum assumentes nomen Domini & opus carnis seu tenebrarum, quale est *incantatio*, *Gal. 5, 20.* exercentes. In virtutem, quam prophanant & ad media illicita alligant. In se quos lædunt anima & corpore non sine intensissimo sæpè dolore, dignum studio recipientes præmium & demerz in proximum, quem temerariè provocando non necessarijs non rarò periculis, imò morti ipsi obijciunt.

4. *Dices*, Maximum tamen cognationis jus intercedere *Audaciæ* cum *Fortitudine*, & proinde vitiosam simpliciter esse non posse. Largimur cognationem sed quæ in umbrâ non essentia consistat. Periculum adit & audax & fortis intrepidè, sed hic cum consilio & ratione, ille cæco impetu, ut affectus cient & ducunt; hic καλῶς ἐνεκα, ille ex temeritate & arrogancia; hic cunctanter & fortiter, ille clamosè & inconstanter, periculum enim quando vel maximè urget cumq; opus est animis primùm in cum pectore firmo, fractus ille labore fugit illicet ocyor Euro. Unde capita dissensionis non pauca heic occurrere est manifestum.

4. *Nec refert*, quod *Philosophus* fortiozem dicat eum, qui sine animi perturbatione in subitis & repentinis periculis versatur, quam qui præmeditatus ad pugnam venit; de necessitatis enim casu loquitur, in quo fortis aquè se virū præbet, ac extra illū, quando de specula mentis quid sic futurum prævidere potest, quando etiam prævisa jacula minùs feriunt. Quid autem hæc ad audaces & *περὶ τῶν ἐπιεικῶν, οἱ βεβλόμενοι περὶ τῶν κινδύνων ἐν αὐτοῖς ἀφίστανται*, ante pericula periclitantur, in ipsis verò, constituti ab sistunt, seu deficient, ut loquitur *Philosophus* l. 3. *Eth. c. 10.*

B

6. *Alterius*

6. Alterum in defectu vitium Timiditas est, quâ pavidò fractòq; aliquis est ingenio, ut omnem flatum adversæ fortunæ timeat. Metus ergò seu molesta & acerba imminentis mali expectatio timidos usq; exagitat, nocte enim dieq; suum gerunt in pectore testem, conscientiam malâ, quæ eos urat & mordeat, qualis fuit Dionysius, quem cum multis armatis cinctum videret Plato, dixisse fertur: *Quod tantum malum fecisti, ut à tam multis satellitibus custodiaris.* Vacillat ergò ex hac quoq; parte Fortitudo, ut non sine causâ Plato dixerit l. 1. de legib. Fortitudinem claudam esse parte dextra, si superet dolores & succumbat voluptatibus.

7. Ne autem naturæ simul fiat injuria, distinguenda heic est Timiditas seu Mollities τῆς Φύσεως, quæ melancholicis naturâ inest; has enim pavitare in tenebris, dicit Scaliger exerc. 307, sect. 5, quia Spiritus sint attriti & distracti non repræsententur imaginationi, à Timiditate τῆς ἔξεως, quæ longo usu in pravum habitum induruit, eaq; hoc loco in vitio esse dicitur. Cujus comites indubitati esse consuevère: Dissidentia & Desperatio, quâ animus & opera abjicitur & despondetur.

8. Meritò ergo Philosophus initio cap. 11. l. d. inquit: τὸ ἀποθνήσκειν Φεύγοντες πέναν ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, ἢ ἀνδρείαν, ἀλλὰ μᾶλλον δειλῆ εἶναι, quod Mors propter rem molestam quandam, paupertatem, amorem aut simile quiddam aliud, non sit fortis sed timidi; extremè damnans αὐτόχρητες ἢ αὐτοφόνους, qui naturam confodiunt, civitatem offendunt, leges violant, ignominiam nominis posteritati relinquunt, & deniq; Deum, qui vitam dedit, ad celerem vindictâ excitant.

9. Quibus in molestijs & doloribus vera Fortitudinis vis se exerit quando aliquis animum frangit proprium. Multos rexeris, inquit Seneca, si ratio te rexerit, magnum imperium regit, qui sibi dominatur, fortios est, qui cupiditatem vincit, quàm qui superat hostem.

THEOREMA IV.

Fortitudini vera species quinque, Pseudandreas, ficta Fortitudinis sunt opposita.

1. Vera Fortitudinis descriptio hæc fuit, moderatio scilicet formidinis & confidentiæ erga ea terribilia, quæ ad salutem corporis pertinent, appetitui irascendi cõpetens, ut inde honestæ prodeant actiones, ut habet descriptio Piccolom. grad. 4. c. 29. Sicut a. vero Soli Mundi illi oculo non raro

rarò parelij adjunguntur, qui imaginem ejus repræsentant, & sub ea oculos fallunt: Ita veræ Fortitudinì *ψευδαῖορεια* seu *umbra Fortitudinì* sæpissimè conjunguntur larvã potiùs quàm Fortitudinè exprimentes.

2. Specierum harum quinq; numerat Aristoteles cap. 11. lib. d. Habet enim illa Fortitudo causam vel certam vel incertam. Si certam, vel affectum quendam, vel experientiam. Si affectum, est is vel Subitus & insperatus, vel spes. Spes vel est honoris vel lucri. Hinc emergunt. 1. ex honoris spe & metu dedecoris *πολιτικὴ Civilis*, quæ legib. poscentibus pro patriæ salute à civibus suscipitur. 2. Ex spe lucri vel evasione aut victoriæ *ἐλπιτικὴ*, quâ servi pugnare solent. 3. Ex ira subita est *ὀργαστικὴ* propter vindictam suscepta. 4. Ex Experientia est *ἐμπειρικὴ*, seu *στρατιωτικὴ* Militaris, quâ sæpè belli periculũ jam experti intigari solent. Et deniq; ex causa incerta seu repentino animi motu sine consilio est *Casualis* seu *δι' ἀγνοίαν* quâ pugnant Tyrones belli.

3. Nulla ex his omnibus vera Fortitudo esse potest. Desideratur enim generaliter in omnibus τὸ καλὸν honestum, quod *πάσης ἀρετῆς τέλος* 2. *Eth. 10.* ut & *προαίρεσις* rectã prudētis ratione definita. In quibuslibet deinde peculiararia quæ quilibet facilè deprehendet ac leget apud Arist. l. d.

4. Iracundia tamè è reliquis hoc videtur habere boni, quod ira moderata ut eos Fortitudinis ad veram non rarò aliquid momenti afferat. Est quidem furor animi *ἡς κατὰ κράτος ἀνδρὸς ἢ τὸ τυχόν* 3. dicit esse Plutarchus, sed si aureo Palladis fræno coërceatur, fortitudini stimulũ roburq; addit, excitando naturã veluti consopitam, cõmovendo animũ ad justã vindictã & deniq; vires & arma pugnantibus subministrando.

5. Quod a. quidam & ex Neotericis præsertim *Timplex. l. 2. Eth. gen. c. 5.* veras & genuinas Fortitudinis assignare species nituntur, quarum altera intrepidè & constanter suscipiat & aggrediatur res arduas laborisq; & periculi plenas, & dicatur *Magnanimitas*; Altera verò molesta & adversã quæq; sustineat & toleret, & dicatur *Patientia*; id stare simpliciter nequit. Quamvis n. de *Patientia* illud aliquo modo admitti possit, ut parte quadam fortitudinis & potiore quidem (magis enim in ferendo quàm feriendo ea conspicitur, cum à ferendo sit dicta & justiores ferenti, quàm percutienti tribuantur laudes;) de *Magnanimitate* tamen, nisi in sensum ab Aristotelico alienum vox torqueatur, (quomodo Cicero eã dicit versari in suscipiendis & gerendis rebus magnis, arduis plenisq; laborũ & periculorũ tum vitæ tum aliorum, quæ ad vitam pertinet l. 1. off.) quo sensu nihil est aliud quam fortitudo ipsissima valere nõ potest.

6. Definitur enim ab Aristotele lib. 4. c. 3. virtus, quæ mediocritatem servat in magnis & debitis honoribus moderatè vel expetendis vel contemnendis, quàm ad omnes virtutes extendit, ita ut μεγαλόψυχος simul sit καλοκαγαθός seu in omni virtute exercitissimus. Quæ laus certè Fortitudini competere nequit, ut ex superioribus constat, cujus proinde species Magnanimitas esse non potest.

THEOREMA V. ET POSTRIMUM.

*Pugnare pro religione & regione & publicis
& privatis personis ijsq; Christianis li-
citur & concessum est.*

1. Hanc Colophonis loco Materiam doctrinæ de Fortitudine annexere placet, non ut Theologiæ sacris μετὰ βάσει εἰς ἄλλο γένος turpissimâ nos ingeramus, sed ut id, quod caput præsentis est disputationis, FORTITUDINEM nostram ab adversariorum moribus tueamur. Quatuor autem in theoremate hoc asseruntur discussione accuratiore non indigna, quorum 1. est: *An pro Religione pugnare sit licitum?*

2. *Pugnam contra hostes externos heic potissimè unè intelligimus, (intricator enim illa est quæstio, quæ in Politicis aliquando discutietur: An liceat subditis à Magistratu suo religionis causâ deficere & contra eum arma capere?) Negativam, autem ejus, ut & totius theorematis Anabaptistæ amplectuntur, quorum fundamenta, quia Sacra maximam sunt partem, missa facimus, Sparta nostræ, spatio & tempori parcentes.*

3. *Assertionem autem hanc nostram primam stabilimus à Religionis præstantia, quæ ad defensionem sui quoslibet, modo & ratione qualibet invitare meritò debet. περὶ ὧν inquit Philosophus lib. 7. polit. c. 8. ὑπάρχειν τὴν πρὸς τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν ἢ καλεῖσιν ἱερατεῖαν. Rerum divinarum cura optimum & primum in Repub. Est enim Religio Plutarcho σπουδατικὴν ἀπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. Quis ergo pro ea pugnandum & ad sanguinem usq; disuaserit?*

4. *Accedit detrimentum ex hujus neglectu longè maximum, Cui enim populo benè celsit unquam, religionem qui susq; deq; habuit; eam le-*
vi occa-

levi occasione prodidit, adversariis portam bipatentem ad ejus corrup-
tionem patefaciens? Et si pro Regione, ut jam demonstrabitur, pu-
gnare eamq; defendere fas sit, cur non etiam pro Religione, quæ regni
boni fundamentum est. *Tholoff. lib. 8. de Rep. c. 2. §. 1.* adeò ut nulla fue-
rit Resp. unquam, quæ aliquam speciem legitimæ administrationis ha-
buerit, nullum regnum aut imperium, cui non fuerit primum Reli-
gionis fundamentum.

5. Quod ipsum *Ethnicorum* etiam *Sapientes & Reges* intellexerunt, Sic e-
nim *Mecenas* vir gravis *Cæsarem Octavianum* monuit: Deum semper &
ubiq; cole, ut moribus patriæ est receptum, ad eundemq; cultum alios
compelles, peregrinarum verò religionum autores odio & supplicio
prosequere, non modo Deorum gratia, quos qui contemnunt, haud
dubiè nihil quoq; magni faciunt, sed propterea etiam, quod, qui nova
numina introducunt, multos ad utendum peregrinis legibus alliciunt,
&c. Quod n. in religionem committitur, in omnium fertur injuriam.
Et omnibus, quibus animæ immortalitas constat, animæ etiam ratio
prior habetur & potior, cum anima sit plus quam corpus & pretiosior.

6. Pari ratione pro Regione quoq; esse pugnandum jus *Natura* flagitat,
quod sui suorumq; conservationem & defensionem ab omnibus ex-
poscit, vim injustè illatam repellendam esse monet, Reip. perturbatio-
nem, quantum fieri potest, præcavendam aut corrigendam suadet.
Quæ omnia bello legitimo expediri *dies loquitur.*

7. *Defensio enim & conservatio* ab exteris hostibus medio nullo ex-
pediri potest, cum illi præsertim armis in nos irruant, valet ergo heic illud
Livy: Bellum est justum, quod necessarium est, & arma sunt pia, qui-
bus nulla, nisi in armis relinquitur spes. Et illud *Ciceronis pro Milone:* Hoc
& ratio doctis & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris natura
ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumq; ope possent, à cor-
pore, à capite, à vitâ suâ propulsarent. Et qui non defendit, nec obsistit,
si potest, injuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam aut so-
cios deserat, *idem inquit lib. 1. off.*

8. Et qui quæ so Reip. perturbatio aut clades ei illata averti aut cor-
rigi saltem potest, nisi pugnandi licentiâ. Hinc Bellum Pacis pater dici-
tur *Scaligero l. 3. de re Poet. c. 17.* Et *Augustinus in lib. de verbis Domini inquit:*
Non quaeritur pax, ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax ac-
quiratur, & in pace sine injuriâ vivatur. *Cic. l. 1. off.*

9. Quod

9. Quod si pro Regione & Religionē pugnandum, A quonam vel cujus instinctu & autoritate id faciendum potius est, quam ejus, cui Primæ & Secundæ Decalogi tabulæ cura est commissa, Magistratu. Huic enim cum onus Regiminis à Deo sit impositum ὡς ὀφείλοντι λόγον δέναι περὶ ἐκάστων τῶν περιπεσευομένων: ut *Basilius ait*, defendere certè modis legitimis & pro grege commisso pugnare tenetur, ut hæc illi sint artes:

Parcerē subjectis & DEBELLARE superbos.

10. Nisi forsan in castra Tyrannorum velit concedere, quorum proprium esse dicit *Aristoteles lib. 8. Eth.* τὸ ἐμαυτοῖς σύμφερον σκοπεῖν, & τῶν ἀρχομένων; & deinde supremi illius Regis Regum & Domini Dominantium justam pœnam incurrere, qui DEPONENTER novit POTENTES, juxta illud πολυθρόνητον; Potentes potentèr tormenta patientur.

11. Denique si Magistratus pugnare & bella administrare legitima potest: Quid de subditis seu privatis sit statuendum, obscurum hinc esse non potest, ijs quoque pugnandum & pugnandum quidem licitè. Si enim subditi nihil possunt moliri in superiorem Magistratum etiam tyrannicè & malè imperantem, cum jurisdictionem nullam habeant in suum Monarcham, qui à populi potestate non pender, *asserente Tholos. lib. 26. de Rep. cap. 7, §. 8. & passim Politicis*; multò minus in ijs refragari jussis potest Magistratui, quæ communis boni gratiâ præcipiuntur.

12. Et amor in Patriam certè nihil aliud requirit. Si enim τῆς πατρίδος δίκαιον ἑσθελὴν ποιῆσαι πρόνοιαν, ὁσὴν περὶ τῶν γονέων, ut ait *Isocrat. in orat. ad Philip*; Si pro ea mori, ei nos dedere & consecrare, in ea nostra omnia ponere debemus, quæ etiam ortus nostri, juxta *Platonem*, partem præcipuam sibi vindicat: quomodo deesse ei pugnando possumus aut debemus?

13. Non possum oblivisci, *eruditissimè inquit Cicero in 2. Catil.* meam hanc esse Patriam, meorum me esse consulem, mihi aut cum his vivendum aut pro his esse moriendum. Quisquis in hac urbe se cōmoverit, cujus ego non modò factum, sed inceptum ullum conatumvé

eumvè contra patriam deprrhendere, sentiet in hac urbe esse consules
vigilantissimos, esse arma, esse carcerem &c. Adeò

— natale solum dulcedine cunctos

Ducit & immemores non sinit esse sui.

Chari parentes sunt, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes o-
mnium charitates patria, una est complexa, quam immunem defen-
dere, oppressam liberare jubet pietas, jubet ratio.

14. *Sacris fundamentis* hæc omnia (ne Adversarij objicere pos-
sent, hæc Christianos non concernere) munire & stabilire possemus,
ut quod in *Veteri Testamento* sanctissimi DEI homines & bella gesse-
runt & in bello servierint, approbante imò jubente Deo; in *Novo Te-
stamento* nullibi id prohibitum sit vel interdictum, cum stipendia et-
iam ipsa *Luc. 3, 14.* & status Militaris passim commendentur: Nisi
spatij obstaret angustia & tractatio ipsa à nostra hac disciplina, pau-
lò esset alienior. In *συζητήσεως* actum ipsum omnia ista refer-
vamus.

15. *Contra que opponi solent & possunt*, unicâ ferè distinctio-
ne, inter legitima & illegitima bella removeri & refutari possunt.
Ad bellum legitimum tria requiruntur: Jurisdictio indicentis, cum
bellum pars sit vindictæ publicæ, quæ pertinet ad potestates à Deo
ordinatas. *Roman. 13, v. 5. II. Causa legitima & justa*, ut sunt
Idololatria & manifestæ blasphemix, pactorum violatio, contume-
lia Magistratui illata, violentia, possessionum ereptio & alia, quas
exponit *Chemnitius part. 2. loc. com. de Vindicta pag. 325, edit. min. III.*
Intentio finis convenientis. qui debet esse honestus & neces-
sarius, & omnino talis, qualem vindicta publica requirit. *Videatur*
Chem. l. d.

16. *Concludimus proinde cum Augustino in lib. de verbis Domini:*
Apud veros DEI cultores etiam bella parata sunt, quæ non cupi-
ditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, qui-
bus mali coercentur, boni suble-
vantur.

Lucis

Lucis majoris gratiã anne-
ctantur bisce bacce

COROLLARIA.

- I. An Fortitudo circa omnia versetur mala? N.
- II. An omnia pericula & mortis genera (præter belli-
cam) Forti sint proposita? A. dolet tamen ejusmodi morti
sibi esse pereundum, quam nec tuba æternitatis nec Reip.
Salus sequatur.
- III. An vulnera & Mors viro forti dolorem afferant, ita
ut Fortis esse desinat? N.
- IV. Pugna, an Causa virum fortem efficiat? Affir. po-
sterius.
- V. An Forti nihil timendum præter scelus? D.
- VI. An Fortis sit injuriam inferre alteri? N.
- VII. An privatus provocatus ab altero & non compa-
rens timidus appellandus, & provocans fortis? N.
- VIII. An mortem sibi consciscens peccet contra rectam
rationem & legem civitatis? A.
- IX. An audax simul sit timidus, & ita θρασύδειλος? A.
- X. An omnes, manus violentas qui sibi inferunt, simpli-
citer damnandi? N.

*Τῷ ἰσχυροτάτῳ καὶ δυνατάτῳ, καὶ δυναμένῳ
ὑπὲρ πάντων ποιῆσαι, κλέος καὶ δόξα
εἰς αἰῶνας αἰώνων.*

Aug. VI 215

ULB Halle
001 923 099


3




TA → OL

VD 17 Z







DISPUTATIONUM ETHI-
CARUM QUINTA.

3 1612
4

De
FORTITUDINE,

Moderatore Dei Spiritu,

IN ILLUSTRIS VVITTEBERGAE,

Ad privatam placidamq; *συμφιλολογίαν*
exhibita

A
M. SIGISMUNDO EVENIO,

Facultatis Philosophicæ Adjuncto,

RESPONDENTE

FRIDERICO FOLCKELIO

Uratislaviense - Silesio.

Ad diem 4. Februarij, horis locoq; notis,

Cicero in Rhet.

Fortitudo est immobilis inter adversa gloriosa animi claritudo,
res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur,
nec prosperis blandiendo elevatur.

WITTEBERGAE,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi

M. DC. XII.